

aperiant, quam si sequaris non errabis. Unde Paulo volenti scire Dei voluntatem; *Domine quid me vis facere?* respondet Christus: *Surge et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere*, Act. IX. Illi sunt instar columnæ illius quæ ducebat Israel per Ægyptum et monebat, quando proficiscendum esset, quando sistendum, Num. IX. Eam vocat Deus *faciem suam*, Exod. XXXIII. quia scilicet angelus, qui columnæ ut navi nauclerus præsidebat, personam Dei representabat. Quis autem sibi non magnopere gratularetur, si per singulas actiones videre voluntatem Dei posset, quid faciendum vel omitendum? Si quotidie mane radius solis per fenestram ad te dirigeretur, qui tibi in pariete monstraret, quid Deus a te requirat, quanta hæc foret gratia? Modo ecce tibi radium talem, episcopum tuum, magistrum tuum, dominum tuum, præceptorem tuum, parentem tuum, confessarium tuum, etc. Nam, nisi manifeste repugnantia orationi et præceptis divinis tibi imperent, secure eis obedis, quasi ipsi Christo, licet alioquin errant. Sunt velut index horologii, quem solum aspiciamus, cum scire volumus horam diei: non introspicimus ipsum horologium. Et tametsi aliquando index cum horologii cursu non concordat, nihil tamen id nocere nobis potest, si forte tardius coram hero comparuerimus, quia referimus nos ad indicem horologii: similiter etiam non est, quod sis sollicitus, quæ sit voluntas Dei, dummodo scias et sequaris superioris tui voluntatem; in eo enim Christum ejusque voluntatem videre te existima. Unde S. Hieronymus, in reg. monial. c. VI. ait: *In obedientia summa virtutum clausa est, nam simplici gressu hominem ducit ad Christum, et non solum mens excusatur ad reddendam Deo rationem de subditis, sed nec etiam obligatur reddere de seipsa. O summa libertas, qua obtenta, vix possit homo peccare*. Hæc Hieron. Hinc consequitur alterum, quod in domo obedientiæ optima et secunda sit ad cælum via; siquidem obedientes alienis humeris, sicut ovis illa inventa humeris pastoris sui, ad cælum feruntur, et alienis natant brachiis. Hinc orta tot monasteria, in quibus homines ut pueri vivunt, totique a pædagogis suis pendent, ad superiorum arbitrium vitam et mores suos componunt. Hinc enim sæcularibus tot dati a Deo superiores, parentes, domini, iudices, principes, tutores, præceptores, pastores, confessarii, etc. ut sic aliorum saltem ductu ad cælum pervenirent, qui suo interirent. Quæ quidem mira Dei inventio est, ut parendo aliorum voluntatibus plurimi salventur, qui per propriam voluntatem perirent. Unde Origenes,

hom. III. in Josuem ait: «Miranda benignitas et providentia Dei apparet, qui volens peccatori Cham præstare remedium et salutem, servum fecit eum fratribus suis, Gen. V. sicut Esau fratri suo Jacob, Gen. XXVII. non ut periret, sed ut salutem melioribus obediendo acquireret. Præstat enim plurimum malis, qui se regere nesciunt, cum sibimetipsis non committuntur, sed servi fiunt sanctorum et subjacent melioribus.» Ita Orig. Exemplum talis obedientiæ describit nobis Raymundus de S. Catharina Sennensi in ejus vita his verbis: «Hoc suavissimo hospite (Christo nempe) contenta, vicit diabolus, et ejus machinas. Docebat ille eam intus vias et rationes mirabiles externa omnia superandi. Imaginabatur sacra virgo patrem suum representare Christum Jesum; matrem suam, Dei genitricem sanctissimam, cæterosque de familia, apostolos et discipulos Salvatoris. Hac imaginatione fortiter concepta, assecuta est, ut omnium admiratione hilariter et officiose inserviret; tum etiam ut illis serviendo semper cogitaret de sponso suo Christo, cui se et omnia officia præstare credebat: sicque factum est, ut dum in culina versaretur, semper esset intra sancta sanctorum; serviensque ad mensam recumbentibus, animum suum mire pasceret imaginata presentia Salvatoris, contemptum vero sui et injurias omnes etiam jucundo ferret animo.»

Ergo, auditores, rogemus Dominum ut qui in hodierno evangelio discipulorum oculos aperuit, aperiat etiam nostros, quibus eum agnoscamus in pauperibus, in sacrificio missæ, in oratione, in superioribus nostris, atque ut demum e Bethania seu domo obedientiæ cum ipso evehamur in cælum.

## CONCIO IV.

## CHRISTIANI SINT PEREGRINI.

I. Non emant ea quæ hinc efferre nequeunt. — II. Omnia aliena reputent. — III. Contemptus et irrationes aliorum contemnant. — IV. Non hic moram trahant. — V. Modeste se gerant. — VI. Muniant se virtutibus. — VII. Cogitent semper gloriam.

## THEMA.

*Tu solus peregrinus es in Jerusalem?* Luc. XXIV.

Peregrinus quidam Christus fuit in Jerusalem necnon in omni terra: nequaquam tamen solus. Quotquot enim Christo adhæserunt, quotquot cæli cives sunt, fatentur etiam ipsi sese hic peregrinos esse; ita imprimis credentium pater

Abraham, Gen. XXIII. *Advena ego sum*, inquit, *et peregrinus apud vos*. Ita ejus nepos, Jacob interrogatus a Pharaone et ætate sua: *Dies peregrinationis meæ*, inquit, *centum triginta annorum. parvi et mali*. Ita David rex: *Advena ego sum apud te et peregrinus sicut omnes patres nostri*, Ps. XXXIX. idemque de omnibus asserit, Paral. XXIX. Testantur idem apostolorum principes, Petrus et Paulus. Ille I. Petr. II. cum ait: *Obsecro vos tamquam advenas et peregrinos, abstinete vos a carnalibus desideris*. Iste II. Cor. V. dicens: *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino*. Idemque de omnibus patribus affirmat ad Hebr. XI. *Confidentes*, inquit, *quia peregrini et hospites sunt super terram*. Idcirco veteres illi patres fere tota vita peregrinando de loco ad locum migrarunt, nullibi stabilem sedem habuerunt. Abraham exire jubetur a patria et habitare in terra aliena; idem filium Ismaelem ablegata se in terram alienam; nepos ejus Jacob deserere cogitur paternam domum et pergere in Mesopotamiam ut serviat in aliena: idem postea cum tota familia peregrinatus est in Ægyptum ad filium Josephum. Unde dicebat Pharaoni: *Ad peregrinandum in terram tuam venimus*, Gen. XLVII. Ejus posterii Israelitæ postea coguntur migrare ex Ægypto et peregrinari in deserto per annos quadraginta. Sed quid opus multis? Anima nostra celestis est et a Deo creata ac paradiso ejecta venit in terram, et in hoc mortale corpus, necnon in exilium. Ibi advena est, indeque velut peregrina cupit redire ad cælum, patriam suam, cujus typus est Cleophas, qui cum haberet domum suam in Emmaus, teste Hieronymo, in epiphano Paulæ, tendit in patriam suam. Soli homines improbi, mundi cives sunt vel potius esse volunt, cum revera non sint. Ergo quando omnes peregrini sumus, videndum nobis est, qua ratione vitam nostram institueamus, quo modo peregrini suam peregrinationem. Audiamus.

I. Peregrinus nihil in via emit quod secum ferre nequeat, ut arbores aut prædia; nec ædificat domos aut hortos, nec querit sibi servos aut equos, quia alio tendit; sola vero ea coemit et parat, quæ secum ferre potest, veluti uniones et pretiosa monilia: ita Christianus, qui peregrinum se agnoscit, non querat hic honores, opes, delicias, quia secum e mundo non efferet, sed mundo relinquet nolens volens; provideat sibi potius de operibus bonis, quæ sola secum efferet. *Opera enim illorum sequuntur eos*, inquit Joannes, Apoc. XIV. Sola efferentur opera, quia sola apud superos in pretio sunt. Stultus est qui navim onerat mercibus, quæ in ea regione, ad

quam navigat, nullius pretii sunt. Divitiæ, honores, voluptates nihil in cælo valent. Queritur S. Job, cap. IX. *Dies mei pertransierunt quasi novæ, poma portantes*. Hoc ipse ex humilitate: nam improborum dies proprie sunt velut naves [poma portantes. Quid enim citius putrescit quam pomum? Et quis non rideret eum, qui ex India adveheret navim pomis onustam? Quot enim poma sana et integra afferret? Nullum omnino. Auro et argento, gemmis et aromatibus onerantur naves Indiæ. Talia autem sunt bona opera, reliqua omnia nil nisi poma sunt. Hinc igitur monuit nos Salvator noster, Joann. VI. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*. Eodem spectat admonitio S. Petri, I. Pet. II. *Obsecro vos tamquam advenas et peregrinos abstinete vos a carnalibus desideris*. Quidquid enim carnale est, fluxum et putredini proximum est: non competit ergo peregrino mundi.

II. Peregrinus omnia quasi peregre videt dum omnia a se aliena et peregrina æstimat: unde ea non amat, sed obiter quasi ad se non pertinentia aspicit ac pertransit. Eodem modo se habet erga homines quoslibet sive indigenas sive obvios quosque; ut peregrinos enim aspicit, non alloquitur, non comitatur: cor ejus in patria est, mens cum parentibus et filiis. Ita Christianus omnia in hoc mundo peregrina et aliena reputet, etiam homines et imprimis feminas, quasi ad se nihil pertineant: cor apud Deum in cælo, apud angelos et sanctos habeat, quemadmodum monet Sanctus Basilius admonitione, ad filium spiritualem: *Aviditate celesti anima flagrans*, inquit, *ut figura quædam inter homines versari videtur et tota conversatio ejus in cælis est*. Cernuntur in aulis principum variæ statuæ et figuræ: discurrunt et fabulantur juxta eas homines pulcherrimæ formæ, elegantissime vestiti: feruntur ad mensam epulæ lautissimæ: agitantur ludi, etc. nihil tamen sibi statuæ illæ ex his omnibus concupiscunt: talem S. Basilius vult esse Christianum. Hujusmodi autem fuit bonus ille latro qui affixus cruci et præter vicinam mortem aliud nihil expectans, omnia terrena, quæ tunc oculis cernebat, tamquam aliene et peregrina vidit; siquidem a Christo, quem cæli regem credidit, nihil in terris postulat, non opes, non honores, non vitam, non dolorum vel modicam relaxationem, sed sui tantum memoriam in cælesti ejus regno. Habuit is in conspectu suo, utpote in monte exaltatus, splendidissimam civitatem Jerusalem, montes et colles speciosos, viridantia arva, ridentia prata, civium Jerosolymitanorum hortos, ingentem popul



multitudinem, in eoque potentes multos et mulieres, necnon equos phaleratos, mulieres quaque et adolescentes forma conspicuos, etc. Nihil tamen horum ipsum movit, ut descensum de cruce peteret et his frui posset: solam præ oculis mortem habuit, ad iter suum attendit deque ejus termino sollicitus fuit. Itaque ut ostendit S. Ambrosius, verus peregrinus fuit. Alter vero non item, quia liberari voluit, nec affectum suum a terra separavit.

III. Peregrinus aspicitur ab indigenis pueris præsertim, velut barbarus et monstrum aliquod, ob peregrinum habitum, loquelam, mores; sed contemnit et pertransit ridetque pariter eos a quibus ipse ridetur. Idem evenit justis in terra peregrinantibus: ridentur enim a mundo ob vitæ austeritatem, morum innocentiam, virtutum splendorem mundo insuetum et pene inauditum: et vicissim ipsi rident mundum. Unde Isaias in persona Christi propheticè de iis loquitur, cap. VIII. *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israel.* Portentum Israeli mundi sectatori fuit Isaias, quando sacco cilicinio super nuda carne indutus velut eremicola, habita penitentis assidue concionabatur mira et magna carni et carnali populo repugnantia: item cum per triduum nudus discurret in urbe Jerosolyma ut populum commoveret ad compunctionem. Itaque non propheta solum sed typus etiam et prodromus sanctorum aliorum fuit, qui ob miram vitæ sanctitatem monstra et portenta a mundo habita fuerunt. Talis Paulus eremita, Antonius, Alexius, Franciscus, Simon Stilites, Simon Salus, Jacoponus et alii innumeri; qui *circueverunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, etc.* ut scribit apostolus ad Hebr. XI. Cæterum quo magis a mundo derisi fuere, eo magis ipsi deriserunt mundum sibi que placuerunt nempe contemptu suo; uti S. Macarius, qui cum socio Nilum transiturus, totus pannosus et squalidus, cum a tribuno regionis audiret: *Beati vos qui mundum illuditis*, respondit: *Nos mundum illudimus, sed vos illuditis mundus.* Refert Palladius, in Lausiaca hist. cap. XX. Quare si quis vult in mundo peregrinus esse et haberi talis, asperos penitentiae et mortificationis induat mores et continuo a mundo spernetur, pelletur et ridebitur. Ita solent rusticæ hœdulis jam adultis matrum ubera abstrahere: alligant eis ad caput pellem herinacei, hispidam et aculeatam; hac igitur larva tecti hœduli dum caprarum ubera petentes pungunt, ab iisdem repelluntur. Indue et tu sanctorum anachoretarum, Pauli, Antonii, Ro-

mualdi et similium mores et videbis illico mundum tibi negaturum ubera solatiorum, imo calcibus te impetiturum ac repulsurum. Sic eris peregrinus verus.

IV. Peregrinus nullibi moram trahit, sed demoratus una nocte in hospio, mane iterum abit et aliis venturis hospitium relinquit. Idem faciat peregrinus cœli: non quærat sibi hic manentem civitatem, sed cogitet se velut hospitem hodie ad mundum divertere, cras ab eo recessurum. Ita sensit David rex paulo ante mortem suam, tradens regnum Salomoni filio: *Peregrini sumus, inquit, coram te (Deus) et advenæ sicut omnes nostri. Dies nostri quasi umbra super terram et nulla est mora.* Peregrinus per unam noctem manet in diversorio, quemadmodum umbra in horologio manet per unum diem: et nulla est utriusque mora, sed hospes hospiti et dies diei cedit: ita cessit David regnum Salomoni, Salomon Roboamo: ita alter alteri lampadem tradit. « Unusquisque, inquit S. Augustinus, ser. XXXII. de verb. Dom.) hic et in domo sua hospes est: si non est hospes, non inde transeat; si transiturus est, nolit velit hospes est; nam dimittit illam filiis suis, hospes hospitibus. Cessit tibi locum pater tuus, cessurus es locum filiis tuis: nec mansurus manes, nec mansurus relinquis. » Hoc suis procul dubio successoribus insinuare voluit cardinalis Albertus et archiepiscopus Moguntinus, qui sepulcro suo incidi fecit hanc epigraphen: *Omnes sequimini. Refert Serarius in rebus Moguntin. l. I. c. XXXI. q. d. sequimini peregrini.* Quare sicut hospes aut peregrinus pernoctans in hospio non laborat in exornando sibi lecto aut conclavi, neque illud renovando tempus terit: nec ægre admodum fert, si non omnia ad gustum suum invenerit parata, quia ibi modico tempore se mansurum novit: ita peregrinus mundi cum norit vitam suam esse brevem, non est sollicitus de superfluo domus, familiæ, corporis ornatu: non inique fert, si non omnia ad ejus nutum fiant et parentur ad gustum.

V. Peregrinus sibi attendit ut modeste se gerat, cum omnibus pacate et pacifice agit, omnibus se affabilem præbet, bona verba dat, libenter aliis cedit, nemini injurius est, quia peregrinum se agnoscit, nec habere jus municipatus ad instar civium, ideoque facile se expelli aut ad iudices trahi posse. Ita Christianus peregrinus componat hominem exteriorem in vultu, vestitu, sermone, incessu, juxta regulam S. August. in regul. *In omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.* Nosse enim

æbet se nihil in hoc mundo vel cum mundo habere, nihil in eo juris habere, terram mundi sectatoribus cedendam, et ideo cum ipsis caute agendum esse; humiliter, pacate et pacate loquendum, ne in eorum censuram incidat. Attendant enim sæculares regularibus, laici clericis et universim probis improbi, cives hujus mundi ejusdem peregrinis, ut habeant quod in ipsis carpant, rideant, accusent, mulcent, uti fecerunt habitatores Gerare Isaaco, Gen. XXVI. Laban genero suo Jacobo, Gen. XXXI. Egyptii Hebræis. Hinc apostolus, Philip. cap. IV. monet ut modestia muniti contra gentiles aliosque se persequentes et affligentes non excandescant, nec indignentur: sed per animi moderationem omnia quantumvis dura patienter ferant, erga hostes suos placidi et benigni sint, memores Domini adventum non abesse procul. *Modestia vestra, inquit, nota sit omnibus hominibus: Dominus enim prope est.* Hac virtute præditi erant magni illi peregrini, Abraham, Isaac, Jacob, qui pene semper in alienis versati terris, omnibus se affabiles, humiles et mites præbuerunt, erantque gentilibus speculum virtutum. Eadem claruit S. Cyprianus martyr, de quo scribit Pontius ejus diaconus in vita: « Tantum sanctitatis et gratiæ ex ore lucebat ut confunderet intuentium mentes gravis vultus et lætus: nec severitas tristis, nec comitas nimia, etc. » Talis S. Lucianus martyr, qui solo suo aspectu modesto multos ad Christum convertit; tantus enim in eo morum decor et vitæ innocentia apparebat, ut angelus videretur, non homo, nemoque eum intueri posset quin ejus et Christi amore tangeretur. Ita enim de eo scribit Baron. anno Dom. 32. « Cum de Luciano a multis audiret Maximianus, tantam in ejus facie insidere reverentiam, ut si eum solum vidisset, veniret in periculum ne fieret Christianus; postquam jussit ut ille adduceretur, timens ne sibi tale quid accideret, velo interjecto separabat sermonis congressionem et verba procul ad eum emittebat, intermedio utens sermonis ministro. » Eadem modestia mire enituit S. Bern. ut in ejus vita, l. III. c. I. quem aliquando visitans in Claravalle pontifex cum suis, ipsius et monachorum modestia visa adeo commotus est, ut plerique in lacrymas solverentur. S. Franciscus suos adeo modestiam docuit, ut mittens eos ambulatum per urbem diceret: *Ite concionatum;* quasi eorum modestia in vultu, habitu et incessu, instar concionis civium animos movere ad pietatem deberet.

VI. Peregrinus parat et munit se rebus ad iter necessariis, scipione, quo nitatur et regat gressus suos, penula e grossiore panno vel corio

confecta ad arcendas pluvias cœlique injurias sustinendas, lagenula ad hauriendum potum, calceamentis ad tuendos pedes, viatico, etc. ita fidelis quisque munire sese debet præsidio virtutum contra omnes difficultates et tentationes; veluti imprimis scipione fiducia in Deum, cujus directioni et providentiæ fortiter innitatur, quia *apud Dominum gressus hominis dirigentur et viam ejus volet*, Psalm. XXXVI. Scipio Cornelli filius cæcum patrem regebat, inde nomen accepit, quod ei velut baculo pater inniteretur. Cæci sumus nos; scipio noster Deus est: illi innitendum. Baculi subsidio peregrinus transilit sepes et fossas; Christianus Dei cum præsidio superat omnes difficultates. Ita David etsi jam senectulus: *In Deo meo transiliebam murum*, inquit II. Reg. XXII. Penula boni Christiani quid nisi patientia, quæ imbres tribulationum fortiter et sine noxa excipit? Hi enim tametsi corpus illius feriunt, ad animam tamen non penetrant, quia a serenitate et pace mentis minime eum dejiciunt. Hac indutus erat Chrysostomus e Constantinopoli in exilium pulsus et variis itinerum molestiis confectus: ita enim ad Cyriacum scribit: « Equidem cum urbe Constantinopolitana exigerer, nihil horum curavi, sed ita mecum ipse locutus sum: Si imperatrix me proscribere volet, proscribat; Domini est terra et plenitudo ejus: si terra descendere volet, descendat; Isaiam habeo exemplum: si me in mare vult projicere; Jonæ reminiscar: si in caminum vult conjicere; tres illos juvenes habeo, qui id pertulerunt: si me bestiis vult objicere; Danielis meminero in lacum leonum conjeçti: si lapidare me vult; Stephanum habeo protomartyrem: si caput mihi vult auferre; Joannem habeo Baptistam: si substantiam vult adimere; adimat sane, nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc. » Quid vero lagenula peregrini nisi temperantia: non enim plus aquæ capit, quam quod siti extinguendæ sufficit: nulla inde ebrietas, nullæ computationes produnt. Itaque et nos *habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus*, inquit apostol. I. Tim. VI. S. Cypr. in exposit. orat. Dom. pro *alimenta legit exhibitionem*, hoc est præbendam. Vult igitur apostolus ut simus præbendarii, qui nihil aliud expectant a præbenda sua præter ordinarium pastum, minime exquisitum et hoc contenti sunt. Nam ut S. Gullielmus eremita discurret: « Sub Adam per pomum, non per bombum universale factum est exitium: Esau reprobatus est appetendo lentis non carnis epulum: sub Moyse populus in deserto prostratus et propter aquæ non vini desiderium. » Ad hæc uti peregrinorum lagenæ



plerumque ex inani cucurbita factæ, ideoque levissimi ponderis sunt; ita venter sobrius nunquam gravat hominem. Calceamenta peregrini, constantia sunt ejusdem. In calceis consistit et firmiter ambulat homo: constantia armatus homo persistit, in virtutis via, licet aspera, et currit viam mandatorum Dei. Calceus extrema et infima vestis, est perseverantia, quæ claudit justorum vitam et virtutibus eorum coronidem imponit. Inutilis fit equus, cum amittit unguam; inutilis fit homo, cum deficit a constantia. Unde S. Hieronymus, epist. X. ad Furiam ait: *Non queruntur in Christianis initia, sed finis*. Viaticum peregrini est Dei verbum, honorum operum merita; sacramentum eucharistiæ; de quibus ait S. Basilius, de leg. I. gentil. *Ad futuri sæculi, cujus non est finis, possessionem viaticum tibi para.*

VII. Peregrinus perpetuo cogitat patriam, ad patriam anhelat, cætera parvi æstimat, nec in iis immoratur, ingemiscit potius ob patriæ distantiam et itineris moram. Ita: «Fideli homini, (inquit S. Augustinus, in Psal. CXLV.) et peregrino in sæculo nulla est jucundior recordatio, quam civitas illius, unde peregrinatur.» Et S. Bernardus, ser. VII. de quadr. «Peregrinus via regia incedit, non declinat ad dexteram neque ad sinistram. Si nubentes aut choros ducentes aut aliud quodlibet facientes videat, nihilominus transit, quia peregrinus est et non pertinet ad eum de talibus: ad patriam suspirat, ad patriam tendit, etc.» Exemplum vel figura potius talium peregrinorum sunt Hebræi qui abducti ab Jerusalem in captivitatem Babylonicam, cum a Babyloniis juberentur modulari cantica sua, responderunt: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Si oblitus fuerit Jerusalem, oblivioni detur dextera mea, adhæreat lingua faucibus meis, q. d. arescat dextera mea, qua pulsavero instrumentum: muta fiat lingua mea, qua cecinero, Ps. CXXXVI. Nam ut recte Augustinus, in Psalm. CXLVIII. ait: Qui non gemit peregrinus, non gaudebit civis, quia desiderium non est in illo.*

Vidimus, auditores, conditiones peregrini: superest nunc ut nos peregrinorum habitum induamus si volumus magnum illum peregrinum Christum comitem esse itineris nostri. Hunc vero si habuerimus, secure perveniemus cum Cleopha ad patriam. Sanct. Olympius abbas, uti narrat Joannes Moschus, in prato spiri. cap. XII. rogatus a quodam, qua ratione vitam suam recte instituere posset ad consequendam beatitudinem, respondit: *Ubique æstima te peregrinum et ubicumque sederis, dic: Peregrinus sum. Fac tu Christiane hoc et vives.*

## CONCIO V.

## HOSPITALITAS SUADETUR.

I. A Scriptura. — II. Ab exemplo patrum veteris legis — III. Ab exemplo patrum novæ legis. — IV. Ab exemplo paganorum et barbarorum. — V. A brutis animantibus. — VI. A præmio et mercede hospitalium. — VII. A pœna inhospitalium.

## THEMA.

*Coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum Domine*  
Luc. XXIV.

Verbum apostoli est, I. Corinth. IV. *Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute.* Cujus dicti veritas apparet in hodierno evangelio, ubi vidimus discipulos duos parum quidem in lege fuisse eruditos, in virtute tamen et bonorum operum studio fuisse præcellentes, eoque medio consecutos Christum, cæli regem. Non noverunt Dominum secum ambulantiem, etiam dum Scripturas illis aperiret: agnoverunt invitatum, et amanter a se pastum: tardi erant ad intelligendum, et agnosendum Dominum, sed non tardi ad amandum etiam ut peregrinum: quem ergo per sermonem et Scripturarum cognitionem deprehendere non poterant, deprehenderunt per virtutem hospitalitatis. Præstat igitur virtute, quam sermone excultum esse; præstat charitate, quam scientia excellere; præstat legis factorem, quam auditorem esse quia non in sermone, sed in virtute est regnum Dei. Intuemur in his discipulis præclarum hospitalitatis exemplum, et dicimus peregrinos ad hospitium non solum invitandos esse, sed etiam trahendos. Cæterum ut hæc virtus cordi nostro fortius imprimatur, audiemus consiliarios, qui eandem suadent.

I. Primus est Scriptura sacra, præsertim novi Testamenti. Audiamus hac de re primarios tres apostolos Petrum, Paulum, Joannem. Imprimis Paulus ad Romanos XII. vult esse Christianos *hospitalitatem sectantes, persequentes*, ut nimirum magna contentione virtutem hanc amplectantur et peregrinos avidi expectent ac nolentes cogant divertere ad se. Rursum ad Hebr. c. XIII. *Hospitalitatem*, inquit, *nolite oblivisci, per hanc enim latuerunt quidam, angelis hospitio receptis*, hoc est latenter angelos acceperunt. Idemque rursum quasi rem summi momenti ad finem epistolæ similibus verbis inculcat ibidem: *Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci.* Quam serio enim Davidem præcepit ducibus exercitus sui ad prælium exeuntibus: *Servate mihi puerum Absalon.* II. Reg. XVIII. tam serio hic apostolus commendare nobis videtur: *Suscipite et servate mihi pauperes et peregrinos, nolite hoc oblivisci.*

Deinde S. Petrus, epist. I. cap. IV. *Estote*, inquit, *hospitales invicem sine murmuratione.* Scribit hoc ad Ponticos, et vicinos populos. De Ponto autem scribit Plin. l. VI. c. I. *Pontus Euxinus ante ab inhospitali feritate Axinus appellatus, postea a contrario per cavillationem Pntus Euxinus* (id est hospitalis) appellatur, inquit Ammianus, l. II. et Ovidius, l. de Ponto: *Quem tenet Euxini mendax cognomine Pontus.* Ergo inhospitali et axino Ponto præcipit S. Petrus, ut sit hospitalis atque euxinus; et quidem patienter, *sine murmuratione*, solum enim hospites facile conqueri, de advenarum multitudine, mora, sumptu, edacitate, importunitate, etc. quemadmodum faciebant Pontici. Nec dubium, quin vere euxini effecti sint, post hanc Petri admonitionem. Denique Sanctus Joannes, in epistola tertia laudat Caium sibi familiarem ob hospitalitatem, et confirmat in proposito; reprehendit vicissim Diotrophem ob inhospitalitatem. Ad illum sic scribit: *Charissime facis* (id est, christiane facis) *quidquid operaris in fratres et hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu Ecclesiæ*, subditque: *Nos ergo debemus suscipere hujusmodi ut simus cooperatores veritatis: Græce, debemus occupare,prehendere, ut vel detinere hujusmodi, quo modo scilicet discipuli hodierni coegerunt Christum ad se divertere. De hoc vero ita: Diotrophes non recipit nos. Propter hoc, si venero, commonebo ejus opera, quæ facit, etc.* Ergo quantum boni odoris spargit hospitalitas, tantum mali et tetri gignit inhospitalitas.

II. Secundus est exemplum patrum veteris legis. Celebratur imprimis Abraham, Gen. XVIII. qui sedens in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei, vidensque tres viros (erant autem angeli) currit in occursum eorum et adoravit eos dixitque: *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum, sed offeram parvillum aquæ et lavate pedes vestros, et requiescite sub arbore, ponamque buccellam panis, et confortate cor vestrum.* Festinavit deinde ad Saram dixitque ei: *Accelera tria sata similæ et commisce, et fac subcinericios panes.* Ipse vero ad armentum cucurrit et tulit inde vitulum tenerimum et optimum, deditque Saræ coquendum, necnon butyrum et lac, et apposuit eis: ipse vero stabat juxta eos sub arbore quasi ministrans et incitans eos ad prendendum: quo in facto multa sane animadversione digna sunt. Primo enim tabernaculi sui ostia aperta habet, ut notat Chrysost. hom. VII. in Luc. de Laz. non timens fures deprædantes, sed optans viatores, qui, quæ bona habebat, acciperent in cælum transferenda; secundo, ante ostium sedebat, inquit Ambros. l. I. de Abraham, c. V. in meri-

die, urgente solis ardore, quando alii requiescebant, hospitum explorans adventum, etc. tertio, domo egrediebatur, pauperum venator effectus, inquit S. Chrysost. ser. XXI. in ep. ad Roman. *nec ita lætatur venator prædam capiens, sicut ille inveniens pauperem, etc.* quarto, quamvis trecentos decem et octo haberet vernas, non alium tamen misit, sed cursu ipse ad boves contendit et pinguiorem vitulum attulit, commendans non ancillæ alicui sed ipsimet Saræ, ut illa etiam sua opera in pauperes collocaret. Denique, *adstabat centenarius comedentibus illis*, inquit Chrysost. etc.

Post hunc celebratur Loth nepos Abrahæ, Gen. XIX. qui eandem virtutem haud dubie a patre didicit, nam et ipse præ foribus civitatis sedit hospites expectans, et cum vidisset duos, (erant autem et ipsi angeli) *surrexit et ivit obviam eis, adoravitque pronus in terram et dixit: Obsecro domini, declinate in domum pueri vestri et manete ibi; lavate pedes vestros et mane proficiscimini viam vestram. Qui dixerunt: Minime, sed in platea manebimus. Compulit illos oppido, ut diverterent ad eum; ingressisque domum illius, fecit convivium et coxit azyma et comederunt.* Ecce: «Loth conversans in medio impiorum Sodomitorum, nec vespere discedebat a foribus civitatis, (inquit Chrys.) sed manebat ne forte thesaurum amitteret ex hospitalitate: deinde obviam procedebat hospitibus, et compulit ad se divertere.» Non dissimilis fuit S. Job qui, ut notat Orig. l. II. in Job, ideo facultates suas conservabat, ut pauperibus communicaret. Propterea apud eum nunquam pauper fortis mansit: nunquam vacuus ab eo exivit; ipse nunquam buccellam suam comedit solus, de velleribus ovium suarum pauperes vestivit: *Foris non mansi peregrinus, ostium meum viatori patuit, ut scribit ipse, c. XXXI.*

III. Tertius est exemplum patrum novæ legis. Sane in primitiva Ecclesia mire floruit hospitalitas adeo ut Tertullianus, lib. de præscrip. c. X. hæc tria numeret catholicæ fidei et unionis symbola, communicationem pacis, appellationem fraternitatis et contessionem hospitalitatis; quæ, certum aliquod signum erat, ex quo noscebatur aliquis esse christianus, indeque ut talis hospitio exciperetur a Christianis. Hoc signum cum ab hæreticis et gentilibus adulteratum et dolose usurpatum esset (uti impostor quidam peregrinus nomine fecit qui Christianum se fingens, multam corrasit pecuniam, teste Luciano, quemadmodum alibi diximus) a catholicis sæpe mutatum est. Tandemque in Concilio Nicæno ejus loco litteræ institutæ, quæ formata dicebantur et subscriptionem continebant